

Decoctionis ceterach,

Liquiritiæ,

Capillorum Veneris, in aqua buglossæ  
destillata factæ uncias quatuor.

Misce pro vno syrupo, & sic pro alijs vsque ad septem vel nouē. Sed vbi acceperit duos primos syropos in purgatione Veris tantum, mittetur sanquis ex basilica dextri lateris vsque ad uncias octo. Postea acceptis nouem syrups, accipiat phar macum, quod erit tale:

R. Confectionis hamech ʒ.iiij.

Oxymellis scillitici ʒ.ij.

Cum decocto ceterach & polypodij fiat potus breuis: sumatur in aurora cum custodia. Facta euacuatione Veris, absteineat ab omni pharmaco vsque ad Autumnum, præter illam tantum terebinthinā, vel pillulas ex terebinthina, de quibus supra locuti sumus. Vtetur tantum nonnullis gratis & iucundis confectionibus, ad membra con temperanda, sicut est huiusmodi:

R. Zucchari rosacei

Boraginati

Violati ana ʒ.ij.

Misce, & ponantur in vase mundo vitreo, & de aurentur. Et ex hoc electuario sumat semunciam tribus horis ante prandium. Quandoque etiam loco istius electuarij sumat myrobalanum conditam chebulam, vel belliricam, vel emblicam. Sed quæ attinent ad ipsa loca, hoc est, ad genua locali ter medicanda, non hic describimus nunc, quoni am longè melius vt S.D. purgetur primò, deinde per multos dies perseueret in diæta instituta, & in omnibus his quæ admonuimus. Nam facile potest contingere, vt inde curetur absq; aliqua molestia circa genu, à quibus quantum possumus, abstinere debemus. Nam nihil est quod magis debilitet iuncturas, & præparet ipsas ad omnem defluxum recipiendum, quam fomentare, inungere & linire. Sed si oportebit, & nos post aliquot menses admonebit, procurabimus vt id quoque quam maximè tuto fiat. Vnum hic non omitram: quòd si perfecta purgatione huius Veris, quemadmodum ordinauimus, vellet huc accedere, & accipere aquas themarum nostrarum, & in illis etiā fouere crura, fore illi vtilissimū. Vnde còsulo, vt eo tempore huius rei gratia omnino Patauū se conferre haud grauetur.

### CONSILIVM CCCXXX.

Pro Domino Georgio Freydel Germano, alterius cruris tumefactione laborante.

**V**M laudauerimus in hoc præstantissimo viro post purgationem Veris, vsum themarum, ita vt fumo & luto tumores fouendo, quæreret discussionem materiæ, & locorum corroborationem, ipse autem ob vrgentia negotia cogatur in Germaniam proficisci, petit vt themarum loco aliquid proponam, quod idem præstare possit quod ipsæ thermæ. Dico igitur, postquam in patriam redierit, atq; ibi animo & corpore aliquandiu quieuerit, optimum fore vt rursus expurge-

**A**tur. Neque enim probabile est tantum itineris confecturum, quin in ratione victus non delinquat plurimum, atque inde rursus non aggreget crudos & deprauatos humores. Est autem omnino contra rationem, loco adhibere resolutiua & exiccantia remedia, nisi primò totum corpus fuerit expurgatum, alioqui longè plus humoris attrahetur, quàm resoluatur. Facta ergo purgatione, postquam animo & corpore quieuerit, nullo temporis spatio interposito, parabit infrascriptum remedium. Primò duobus aut tribus diebus loca tumencia illinet cum adipe porcino recenti, hoc est, eiusdem anni, non salito, admisto oleo amygdalarum dulcium, ac butyro etiam recenti: illinet autem singulis diebus bis, manè inquam & vesperi. Tertio die accipiet quatuor aut quinque frusta ad magnitudinē oui, lapidis pyritæ, quem vulgò marchesitam vocant. Quòd si haberi non poterit, eius loco sumet frustum lapidis molaris noui, & aquam non experti, & sit eiusdem magnitudinis, quæ iniiciet in ignem ex carbonibus accensum, habebitq; vas ad id præparatum stricti orificij æneum, qualia sunt ea quibus vtuntur tonfores ad lixiuum, in quod vas acetum semiplenum infundat repentè tantam copiam eorum lapidum ignitorum, vt fumus sufficienter exhalet. què fumum totum diligenter excipiat circa tumores, adiectis vndecunque pannis operientibus, ne fumus per alias partes exhalet: & dum incalescunt partes tumefactæ, per illum vaporem, semper agitabit crus hinc inde mouendo, tamdiuq; illum fumum admittet, quàm diu partes exudent humorè ab extrinseco. Deinde locum abluet aqua calida, in qua decocta sit camomilla, & rosæ siccæ & absterget leuiter panno lineo calido. Vltimò inunget eodem linimento paulò ante descripto, & per duos adhuc dies eodem modo bis singulis diebus manè & vesperi idem repetat. Deinde tertio die ad illud idem suffumigium redibit, alternatim repetendo per quindecim dies aut etiam viginti: postea quiescet, & si curatus fuerit, bene erit: si minus, interim quiescet donec Autumnalis purgatio accesserit. qua purgatione facta statim tentabit illud idem fomentum vel suffumigium, deinde quiescet vsque ad Vernam purgationem. Denique nunquam cessabit ab iisdem remedijs itidem repetitis, donec sanitatem acquirat. Neque enim est discedendum ab ijs quæ inter initia rectè fuerint instituta, etsi nò successerit, quemadmodum optimè consulit Hippocrates. Estq; illi omnino præsupponendum, quemadmodum etiā in consultatione admonuimus, egritudinem longam fore, & perseuerantia esse peruincendam, in qua sola est cum diuino auxilio spes ponenda, cum firma opinione. Nihil enim deterius huic, & omnibus alijs chronicis ac diuturnis morbis, quàm crebra mutatio sententiarum & remediorum. Hoc igitur admonere volui tanquam rem fortassè præ reliquis omnibus maximè opportunam.

### CONSILIVM CCCXXXI.

De dolore genu obtuso ex destillatione pituitæ à capite, pro magnifico Veneto.

Fomentum  
vt pyrite  
& arcto.